



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 89. Diversæ Clementis Papæ Constitutiones & epistolæ ad diversos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. LXXXIX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.*Diversæ Clementis Papæ Constitutiones & epistolæ ad diversos.*

Tam obfirmato animo Clemens Pontifex suæ inhæsit opinioni, qua primas Imperatorum preces absque sacræ Sedis Indulto concessas penitus rejiciendas, nullasque esse censuit, ut etiam post Josephi Imperatoris obitum per specialem Constitutionem die tertia Octobris editam ejusmodi preces nullatenus admittendas, & omnino irritas esse declararet, quin ibi aliam assignaret rationem, nisi quod *explorati juris sit, nemini fas esse absque sacræ Sedis indulto quempiam ad Beneficia hujusmodi commendatis conferenda, compellere.* Ea de causa die septima Januarii Armandum Argentinensem Episcopum redarguit, quod in utraque Ecclesia Collegiata S. Petri, tum in aliis Argentinensis Diæceseos Ecclesiis Preces primas Imperiales admiserit, cum tamen, *Ecclesiastica libertas eximè magnopere lædatur, quapropter hunc Episcopum serio admonuit, ut opportunis mediis indemnitati Ecclesiasticæ jurisdictionis propiciat.* Ejusdem ferme tenoris erant Pontificis literæ die prima Augusti ad Franciscum Ludovicum Palatino-Rheni

Bull. magn.
Const. 45.
Clem. XI.
pag. 77.

Sæc. XVIII. Comitem Ecclesiæ Wormatiensis Ad-
A. C. 1711. ministratorem datæ, eo quod hic cui-
 dam cognomine Fabro Wormatiæ pos-
 sessionem Canonatus in Ecclesia Col-
 legiata ad S. Martinum adjudicasset,
 cum tamen hoc Beneficium in Mensæ
 Apostolicæ Sedi reservato vacasset, il-
 ludque Pontifex jamjam Joanni Ser-
 vatio de Grass Sacerdoti Colonienfi con-
 tulisset: eapropter, [Pontifex ut hunc
 quantocius, rejecto Precista Imperiali,
 in præfati Canonatus possessionem im-
 mitteret, dicto Administratori præce-
 pit, subjungens, precum Imperialium
 indulto Apostolico destitutarum usum
*S. Canonibus, Apostolicis Constitutionibus,
 & Germanicæ Concordatis repugnare, earumque usum nullo jure, exemplo, vel factis
 superiorum Imperatorum inniti, quibus immo
 a tribus ferme sæculis solemne fuit abstinere, usque dum Apostolica facultate communiti fuissent, quam Josephus, dum visus
 Romanorum Rex in Imperatorem electus
 proculdubio numquam obtinuit. Prævaluit etiam Pontifex; Administrator enim Grassio Canonatus possessionem
 asseruit, expulso Precista Cæsareo. Vacante autem Thorensis Ecclesiæ Canonatu Pontifex Ruremundano Episcopo
 eundem contulit, quem tamen sibi Carolus Baro de Castellan vi primarum
 precum vindicavit, hunc vero excludi*
 &

& Episcopum in sua possessione conser-
 vari petiit Pontifex a Thorenfi Abba-
 tissa & Canonicis. Jam supra memi-
 nimus, quod Philippus V. Hispania-
 rum Rex expulso Nuntio Apostolico
 cunctis illius Regni fidelibus commer-
 cium cum Romana Curia interdixerit,
 atque in expediendis literis Apostolicis
 nova forma introducta, utrique Clero
 injunxerit, ne Superioribus suorum
 Ordinum Generalibus Romæ agenti-
 bus ullam obedientiam, qua eis cete-
 roquin solemnem voti religione obstric-
 ti erant, exhiberent: cum ergo his Ec-
 clesiasticam potestatem contemni, Pon-
 tificiamque auctoritatem lædi arbitra-
 retur Pontifex, atque incassum jam
 ante biennium hæc edicta rescindi
 petiisset, hinc die decima septima Octo-
 bris iterato cuncta hæc edicta tanquam
 nulla declaravit, omnesque censuras,
 quas eorum Authores, fautores &c.
 incurrissent, salvas esse atque ab eis a
 nullo nisi a Pontifice absolvi posse sta-
 tuit. Verum tonitrua, quæ Romæ
 mugiunt, raro Hispanicam terram con-
 cutiunt: cum autem Pontifici innotuif-
 set, quod mortuis Archiepiscopis Tar-
 raconensi & Cæsar-Augustano Regii
 Ministri in spolium præfatorum Archi-
 præfulum, necnon in harum Diæcesium
 administrationem manus injecissent,
 hinc

Sæc. XVIII.
 A. C. 1711.

Vid. supra
 S. I. p. 2.

Sæc. XVIII. hinc die tertia Januarii utriusque Ec-
A. C. 1711. clesię Canonicos admonuit, ut nulla-
 tenus jura ac rationes Ecclesię hoc
 modo perturbari consentiant, sed pro
 legitimis interim Administratoribus eos
 duntaxat habeant, quos Joannes
 Archiepiscopus Seleuciensis & Camere
 Apostolicę Thesaurarius Generalis de-
 signaverit. Eodem immunitatis tuen-
 dę studio incensus Pontifex, die deci-
 ma octava Aprilis insurrexit adversus
 Marchionis de los Balazos Sicilię
 Pro-Regis decretum, vi cujus cunctis
 Ecclesiasticis & Beneficiorum, quę
 Regii Patronatus erant, possessoribus
 injunctum, ut quicquid ratione Pen-
 sionum a Papa super eisdem Beneficiis
 reservatarum, pro eo anno persolvere
 tenebantur, id totum apud Regium
 Quęstorem nomine mutui pro publicis
 necessitatibus ac militaribus expensis
 in ejusdem Regni tutelam expenden-
 dum deponerent: hoc ergo decretum
 Pontifex mox revocari præcepit, atque
 Ecclesiasticos monuit, ut ab omni o-
 pera, & assensu abstinerent, propter
 quem hujusmodi attentati participes
 effecti, pœnas in Ecclesiasticę liberta-
 tis, immunitatis, ac Pontificię aucto-
 ritatis violatores latas incurrerent, Ga-
 dicensem vero Episcopum, eoquod quę-
 storibus has pecunias petentibus re-
 stite-

fiterit, Pontifex multis ornabat lau- Sæc. XVIII.
 dibus. Quoniam vero idem Pro - Rex A. C. 1711.
 vectigal pro frumento ex Ecclesiastico-
 rum prædiis collecto solvi præcepisset,
 hinc Papa denuo hoc decretum revo-
 cari præcepit, comminatus, se, re co-
 gnita, opportunis mediis Ecclesiasti-
 corum indemnitati occursurum, eo-
 quod Archiepiscopis &c. non laicis
 competeret, de exemptionibus cogno-
 scere, ac iudicium ferre, ubi de eorum
 excessu atque abusu dubitare continge-
 ret: Jam anno priori Antonius Ulricus
 recens conversus Brunsvico-Lunebur-
 gicus Dux pro sua ditione Vicarium
 Apostolicum deputari, a Papa efflagi-
 tabat, hic vero die vigesima quarta
 Januarii datis ad eum literis rescripsit,
 id nullo modo in præfenti rerum vicif-
 situdine expedire, ne A catholici Prin-
 cipes, qui ægre ac liventi oculo tum
 ipsius conversionem, tum quicquid pro
 Divini cultus augmento illic aggredi-
 tur, respiciunt, si que ibi Ecclesiasticorum
 Præfulum numerum augeri adverte-
 rent, id ægrius ferrent, ansamque inde
 captarent conspirandi in oppressione
 Religionis Catholicæ: *Nam quod alias,*
prosequebatur Pontifex, Joannes Fri-
dericus Hannoveræ Dux post agnitam pari-
ter, acceptamque Catholicam veritatem ob-
tinuerit deputari vicarium apostolicum cha-
ractere

Sæc. XVIII. *raetere episcopali decoratum, id ea ratione*
 A. C. 1711. *contigit, quia Catholici, qui sub illius*
clientela erant, omni prorsus pastore at-
que Ecclesiastico rectore destituti reper-
bantur, ac proinde spirituali eorum com-
modo & saluti consulere oportuit; quod
quidem modo locum non habet in ista tu-
ditione, ubi actu existunt, vicarii apo-
stolici, nempe venerabiles Fratres Episcopi
Colubricensis, atque Spigacensis, qui pro-
esse possunt istorum fidelium necessitatibus.
Quodsi Deo honorum omnium auctori plu-
cuerit rebus Catholicæ Religionis in Ger-
mania propitiari, quemadmodum eodem mi-
serente, tuoque studio, ac opera, atque in-
primis illustri illo exemplo, quod aliis prin-
cipibus proposuisti, factum iri speramus,
non omittet Apostolica Sedes pio desiderio,
quod foves, aut his, aut aliis etiam am-
prioribus gratis obsecundare, ut omnibus
perspectum sit, plurimi ab ea non secus, ac
a nobis, fieri decora, & virtutes nobilita-
tis tuæ, cui interim Apostolicam bene-
ditionem permanenter impertimur.

Nuntiatum pariter erat Pontifici,
 quod Præsules, Clerus & Principes
 hujus Nationis Jacobum Maronitarum
 Patriarcham post ejus electionem au-
 ctoritate Apostolica confirmatum in-
 consulto Pontifice, & nequidem servato
 Ecclesiastici Judicii ordine exauctora-
 rint, indeque non levia dissensionum peri-

pericula orirentur, hinc Pontifex eos ^{Sæc. XVIII.}
 acriter objurgavit, ac die trigesima ^{A. C. 1711.}
 prima Januarii injunxit, ut Laurentio
 Ordinis Fratrum Minorum Custodi
 Dominici Sepulcri, quem Pontifex ad
 eos cum amplissimis facultatibus able-
 gare decrevisset, obtemperarent, eique,
 ut demandati sui muneris partes rite
 obire valeat, omni studio ac ope ad-
 essent.

Premebatur jam ab aliquo tempore
 maximis ærumnis Tornacensis Eccle-
 sia; cum enim ejusdem Episcopus sine
 luculento suæ Dignitatis, & Ecclesia-
 sticarum rationum dispendio præsens
 esse non posset, eo absente Diæcesis
 potestati atque arbitrio eorum, qui a
 Catholica veritate dissentiunt, per-
 missa erat, ac insuper fœderati Belgii
 Ordines, qui tum summa rerum illic
 potiebantur, de sacris, Divinisque re-
 bus, & Ecclesiasticis præbendis ac
 beneficiis pro libitu disponebant, per-
 inde ac si in ea jura, quæ ab Aposto-
 lica Sede Regibus Catholicis indulta
 fuere, successissent, hæcque Ecclesia
 tanquam Pastore suo destituta habenda
 esset: quinimo etiam non pauci tam in
 civitate Insulana, quam in finitimis pa-
 gis relicta religione Catholica ad Cal-
 vinianam sectam transierunt. Hanc ob-
 rem Pontifex die vigesima octava Fe-
 bruarii

Sæc. XVIII. A. C. 1711. bruarii Episcopum, Canonicos, & Vicarios Generales impense hortabatur, ut præprimis Episcopus impedimenta ob quæ abesset, tolli, suamque ad Ecclesiam redire curaret: Canonici vero sedulo caverent, ne Catholica religio & Ecclesiastica disciplina ullum illis detrimentum patiantur, nec permittant, ut nonnulli per Canonicam Institutionem non provisi, sed per Laicorum potestatem, ac per vim intruissent Præbendis suæ Ecclesiæ potiantur, atque inter eos consideant: Vicarii denique Generales hujus Ecclesiæ curam absente Episcopo gerentes strenue obsistant, vel saltem nullo modo iis, qui a Laicis nominati dignitates, & Præbendas occupare nitebantur, consentiant, sed Hæreticorum Catholicos ad Calvini sectam pertrahentium insidiis fortiter obsistant, missisque illuc Viris pietate ac doctrina inclytis errorum caliginem a deceptis mentibus veritatis lumine dissipare conentur: idem etiam commendabat Pontifex Cameracensi Archiepiscopo. Cum autem Pontifici nuntiatum esset, quod Tornacenses Canonici habito Capitulo die vigesima tertia Februarii & quinta Martii anno sequenti Joannem Carolum Cuipers ab Acriensis Ecclesiæ Collegiatae Præpositura sibi ab A catholicis collata

collata excluderint, & eorum repulerint conatus, qui A catholica potestate freti, etiam Sede nondum vacante, Cathedralis Ecclesie beneficia conferendi jus usurparunt, hinc laudato Canonorum Zelo ejusmodi jus nemini, præterquam ordinario Collatori, Sedi Apostolicæ, & Deputatis ab ea competere, & nequiter intrusos in censuras Ecclesiasticas incidisse, die undecima Aprilis declarabat.

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

Cum vero Eichstettensis, Tridentinus aliique Germaniæ Episcopi ad Ecclesiam in Catholicorum commodum Hannoveræ ædificandam magnam pecuniarum vim contulissent, Pontifex eorum studio plurimum deprædicato, die quarta Aprilis Josephum Clementem Coloniensem Archiepiscopum, & Canonicos Salisburgenses hortabatur, ut & ipsi omnem opem & subsidia eo conferre velint, quatenus hoc opus ad exoptatum exitum perducatur. Sub idem ferme tempus Tullensis Episcopus Mensam Capitularem Ecclesie Collegiatæ ad S. Eucherium de Liverdum suppressit, eamque Seminario suo Ecclesie Cathedralis, inconsulta tamen Sede Apostolica, atque invitatis Canonicis unire constituit, utque Canonorum oppositionem eludere posset, a Metropolitanæ reclamantis sententia ad

Hist. Eccles. Tom. LXVIII. Bb Lai-

Sæc. XVIII. Laicum Magistratum appellavit: Re
 A. C. 1711. comperta Pontifex die decima octava
 Aprilis hunc Episcopum vehementer
 arguit, petiitque, ut rescissis actis,
 rebusque in pristinum statum reductis,
 indemnitati præfatæ Collegiæ oppor-
 tune prospiciat. Perscripserat Turno-
 nius Cardinalis ad Papam jam ante
 triennium, quod P. Claudium Visle-
 dou Jesuitam, eoquod non modo in
 Europæorum, sed & Sinensium literis
 versatissimus, veritatis pondere con-
 victus, & propriæ conscientiæ stimu-
 lis expugnatus, prohibitos Ritus vehe-
 mentissime impugnasset, ac orthodoxæ
 fidei Zelo, constantique erga Cardi-
 nalem, sacramque Sedem studio,
 ceterisque virtutibus insignis
 in Ecclesiæ Claudiopolitane Ep-
 scopum nominarit, consecrarit
 atque in Vicarium Apostolicum Pro-

(* Equidem Turnonius Cardinalis hujus
 Jesuitæ consecrationem demandabat Aſcalo-
 nensi Episcopo, qui tamen id facere renue-
 bat, eoquod Jesuitæ objecissent, quod Pater
 Visledou a Cardinale in Episcopum nominari
 haud potuerit ob votum de Episcopatu non
 acceptando, quod tamen votum solus Pon-
 tifex solvere posset, postquam vero hic Pa-
 ter a Sinis Macaoum exulare justus erat,
 Cardinalis domum intrandi occasionem nactus
 ab eodem consecratus est, uti ipsemet præ-
 fatus Pater die duodecima Februarii Anno
 1710. ad Clementem Papam perscripserat.

vinciæ *Kucychan* in Regno Sinarum de Sæc. XVIII.
 putarit: hoc autem anno Pontifex die A. C. 1711.
 vigesima quinta Junii literas ad præfa-
 tum Episcopum Claudiopolitanum de-
 dit, significans, quod omnia a Cardi-
 nale Turnonio gesta confirmet, velit-
 que, ut ipse ejusdem Cardinalis vo-
 luntati & mandatis alacriter obsequi
 pergat, piosque ipsius conatus juvare
 studeat, eoquod hi unice eo tendant,
 ut iis, quæ in caussa Rituum Sinen-
 sium *definita* fuere, exacte servatis,
 optata tandem Missionibus illis tran-
 quillitas restituatur. Paulopost nun-
 tiatum erat Pontifici, quod Cyrillus
 Szumlenski Ord. S. Basilii Monachus
 Ruthenus a Russiæ Metropolita in Ad-
 ministratorem Ecclesiæ Luceoriensis,
 donec illius Episcopus a Moschis de-
 tentus, pristinæ libertati redderetur,
 fuerit quidem nominatus, ipse vero
 Moscoviæ Ducis patrocinium aucupa-
 tus, ab eodem ad schismaticum Pa-
 triarcham Kyoviensem eo fine missus
 fuerit, ut in Luceoriensem Episcopum
 ab eodem consecraretur; cum ergo pe-
 riculum esset, ne hic alienæ Sedis usur-
 pator, dum ab unione Ecclesiæ Romanæ
 defecit, Clerum quoque & populum
 Luceoriensem, qui non ita pridem schis-
 ma deseruit, ab unione Romana sedu-
 ceret, hinc Pontifex die decima quinta

Sæc. XVIII. Augusti Poloniæ Regem, necnon Po-
A. C. 1711. loni exercitus Archistrategum rogabat
 ut hujus Urbis & Diæcesis incolas mo-
 neant, ne hunc Pseudo - Episcopum
 recipiant, sed ut lupum ab ovili
 ceant, debitamque legitimo Admini-
 stratori a Papa constituendo obedien-
 tiam præstent: cum ergo Rex præ-
 Monachi conatus Regia auctoritate
 liciter repressisset, Pontifex actis gra-
 eundem Regem obsecrabat, ut præ-
 tum Cyrillum procul amandari, & Ep-
 scopo Chulmensi præfatæ Diæcesis Ad-
 ministratori obedientiam præstari ce-
 ret. Eodem ferme tempore Didaco
 Quitensis Episcopus Perruvixæ Pro-
 a Papa petebat, ut, dum Sacros Or-
 dines confert, propter suas infirmita-
 tes non jejunus Missæ sacrificium ce-
 lebrare valeat: id vero veteri disci-
 plinæ, Sedisque Apostolicæ institutio-
 contrarium esse, die quinta Decembris
 rescripsit Pontifex, qui etiam eidem
 decima quinta Octobris anni sequentis
 gratulatus est, quod suæ Diæcesis in-
 colas ad abjiciendas veteres supersti-
 tiones, & Idolorum cultum, necnon
 ad amplectendos Christianos Ritus
 Instituta Pastoralis sua vigilantia
 duxerit. Præterea Pontifex veheme-
 ter exposulabat cum Ragusinæ Re-
 publicæ Rectoribus & Consiliariis

quod Archiepiscopi Ragusini Vicarium ^{Sæc. XVIII.}
 Generalem ad Insulam Melitensem Dal- ^{A. C. 1711.}
 matizæ, Mazolinum vero Presbyterum,
 aliosque duos Benedictinos Monasterii
 S. Jacobi Congregationis ^{Melitensis} ad
 Diæcesin Stagnensem non modo re-
 legare, sed etiam a Papa desuper ob-
 jurgati die decima quarta Martii re-
 spondere ausi essent, quod id jure, ut
 publicæ tranquillitati ^{conlultum} foret,
 ex naturali potestate a Deo eorum Ma-
 joribus concessa, atque ad illos trans-
 missa fecissent: *Quis autem Vobis, re-
 ponebat Pontifex, aut Majoribus ve-
 stris judicandi Clericos & Sacerdotes au-
 thoritatem largitus est? qua ratione in
 patrocinium sacrilegii advocatis natura-
 lem potestatem Vobis a Deo traditam?
 cum ipse Deus immunem a Laicorum po-
 testate velit Ecclesiam & Clerum his ver-
 bis: Nolite tangere Christos meos, &
 de Sacerdotibus dicat: Qui audit &c.*
*Ignotæ fors Vobis sunt Canonice San-
 ctiones, civiles Romanorum Imperatorum
 leges, & edicta, Generalium Conciliorum
 & S. Patrum Regulæ? Si prædicti Ec-
 clesiastici politicis negotiis se ingesserunt,
 ac Reipublicæ vestræ quietem perturba-
 runt, num ejusmodi malo occurri non
 poterat, nisi sæcularis Magistratus ple-
 ntis auctoritate &c. quoniam vero
 Ragusini injuriam Ecclesiasticæ immu-
 nita-*

Bb 3 nita-

Sæc. XVIII. nitati illatam repararunt, cunctis in
A. C. 1711. pristinum statum reductis, hinc Pontifex
 anno sequenti die decima quinta
 Novembris eos laudans hortabatur,
 ut conscientiæ suæ consulere, & proprio
 Pastori suo debitam ab omnibus
 reverentiam exhiberi curarent. Insuper
 Papa die decima Julii concessit, ut
 Beatificationis causa V. Josephi a
 Cupertino agi & discuti possit, etsi non
 annus fuisset elapsi quinquaginta annis
 ab ejus obitu: Beatificationis autem
 causam V. Roberti Bellarmini hoc item
 anno Jesuitæ vehementer urgebant,
 quæ tamen Pontificis & S. Congregationis
 judicio rejecta est.

§. XC.

*Varia Sacrarum Congregationum
 decisiones.*

Const. S. Congreg. Rit. Concil. Eccl. Plures insuper occurrunt Sacrarum
 Congregationum decisiones hoc anno emanatæ, & quidem die nona Januarii
 S. Indulgentiarum Congregatio jussu summi Pontificis decidit, quod
 Reliquiæ Sanctorum a Romanis cæmeteriis extractæ possint publice in
 supplicationibus deferri, die autem vigesima sexta Martii Congregatio
 Episcoporum respondit, quod licuerit, & liceat Archiepiscopo ingredi Conventum